



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Liber dissencionum archiepiscopi Coloniensis et Capituli Paderbornensis

Dietrich <von Engelsheim>

Münster, [1893-1897]

25. Incorporacio et unio ecclesie Paderbornensis ad ecclesiam
Coloniensem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54427](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54427)

Item capitulo, cum requisitus fuero, in requisicione prebende fideliter astabo et ipsum defendam.

Omnia et singula supradicta ego Theodericus, archiepiscopus Coloniensis, administrator et pastor ecclesie Padeburnensis, libenter servabo et capitulo meo Padeburnensi servare promitto, sic me Deus adiuvet et sancta Dei evangelia. Datum sub meo sigillo secreto anno a nativitate domini millesimo quadringentesimo quinto decimo, crastino beati Remigii episcopi.

Nach dem Original im Königl. Staatsarchiv Düsseldorf.
A III Churcöln Nr. 1548. 1 Bleisiegel.

(Vergl. Abdruck bei Schaten, Annal. Paderb.

Incorporacio domini Coloniensis.

25. Martinus episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

1429
24. Novbr. Pastoralis officii debitum, quo universis orbis ecclesiis obligamur, assidue nos impellit, ut de ecclesiarum, presertim cathedralium omnium ac illis pro tempore subiectarum personarum statu solliciti, [ut] ¹⁾ prospere regantur et salubriter dirigantur, necnon in pacis et tranquillitatis amenitate floreant, iuxta indultam nobis desuper potestatis plenitudinem operiosis studiis intendamus. Cum itaque, sicut accepimus, ecclesie Padeburnensis pro illius et ecclesie Coloniensis ac eis subiectarum terrarum statu et commoditatibus conservandis venerabilis frater noster Theodericus, archiepiscopus Coloniensis per sedem apostolicam in spiritualibus et temporalibus perpetuus administrator deputatus existat, nos ex certis causis animum nostrum ad hoc inducentibus spemque nobis indubiam pollicentibus, quod prefate Coloniensis et Padeburnensis ecclesie ex hoc prosperiores consequentur successus ac eo vali-

¹⁾ fehlt im Original.

dius et commodius se valebunt ab adversis tueri et a noxiis preservari, quo vires utriusque simul coniuncte fuerint fortiores, eiusdem archiepiscopi in hac parte supplicationibus inclinati, ipsam ecclesiam Padeburnensem, cuius mense episcopalis fructus, redditus et proventus, qui in camera apostolica ad centum florenos auri de eadem camera duntaxat taxati reperiuntur, quadringentorum florenorum auri similium secundum communem estimationem valorem annum, ut ipse archiepiscopus asserit, non excedunt, cum civitate, territorio, districtu, opidis, terris, dominiis, castris, villis et fortaliciis aliisque iuribus et pertinentiis suis universis venerabili fratri nostro Conrado, archiepiscopo Maguntino, cui prefata ecclesia Padeburnensis metropolitico iure subesse dinoscitur, suum expressum ad id per suas litteras adhibente consensum, eidem ecclesie Coloniensi, cuius verum annum valorem presentibus haberi volumus pro sufficienter expresso, auctoritate apostolica tenore presentium ex certa scientia imperpetuum incorporamus, annectimus et unimus ita, quod liceat Theoderico prefato et suis successoribus pro tempore existentibus archiepiscopis Coloniensibus auctoritate propria possessionem administrationis, bonorum dicte ecclesie Padeburnensis apprehendere et retinere ac perpetuo ecclesiam ipsam Padeburnensem regere et gubernare eiusque fructus, redditus et proventus, iura, obventiones et emolumenta exigere, percipere et levare, necnon in suos ac dictarum Coloniensis et Padeburnensis ecclesiarum usus convertere, alicuius licentia super hoc minime requisita; quodque dilecti filii, capitulum, necnon vasalli, feudatarii, censuales et alii subditi ac homines dicte ecclesie Padeburnensis Theoderico, archiepiscopo et successoribus prefatis obedientiam et reverentiam prestare ac servitia et

iura debita exhibere, necnon ab eis feuda, homagia et bona alia ad eandem ecclesiam Padeburnensem pertinentia recipere et recognoscere teneantur et debeant in omnibus et per omnia, sicuti consueverunt episcopis Padeburnensibus, qui pro tempore extiterunt, iure tamen metropolitico ecclesie Maguntine alias in omnibus semper salvo, non obstantibus apostolicis ac Coloniensis, Maguntine et Padeburnensis ecclesiarum predictarum constitutionibus, ordinationibus et statutis, iuramento, confirmatione apostolica vel quacunque firmitate alia roboratis, consuetudinibus quoque, necnon privilegiis, indulgentiis et litteris apostolicis generalibus vel specialibus, quorumcunque tenorum existant, per que presentibus non expressa vel totaliter non inserta effectus eorum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in nostris litteris mentio specialis ceterisque contrariis quibuscunque; proviso, quod ecclesia Padeburnensis predicta debitis propterea non fraudetur obsequiis ac solitus dignitatum, canonicorum, sacerdotum et ministrorum numerus in illa nullatenus minuatur, sed eius debita et consueta ac alia incumbencia onera oportuna debite supportentur. Nos enim exnunc irritum decernimus et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostre voluntatis, incorporationis, annexionis, unionis et constitutionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli, apostolorum eius, se noverit incursum. Datum Rome apud sanctos apostolos, VIII. kalendas Decembres, pontificatus nostri anno tertio decimo.

A. de Dammano.

C. de Reate, Pogguis.